




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Toletana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67721)

runt tamē indigenę nil posse fingi auctēnius, postquam tellurem pluuię irrigarint: quarum initium mense Iulio, quo nostri sunt illò delati. Amœnitatis index fuit vicinum flumen, multis arboribus vtrique ripa vestitum, quod potest cum gratissimo totius Lusitanię contendere. Graue cælum quondam fuit, sed redditum mitius, postquam perflare cæperunt fauonij; gleba ditissima sacchari, dactylorum, palmarum, & eorum fructuum, qui vel in America, vel in Europa laudatissime proueniunt. Vilissima est rerum omnium annona: Vitulus simplici aureo, bos duplici ad summum constat. Gallinæ syluestres ac domesticæ, putescunt multitudine. In Guineam transuolare quamprimum nostri maturabant, ni callentes locorum homines dicerent, eos conatus celerem mortem accersere, si vellent immigrare, priusquam imbrium rigor mitesceret; quo silente, se conferent ad explorandam regionem, & Regum barbarorum mores perdomandos, eorum maxime, qui Montes incolunt à Leænæ nomine appellatos: hi enim cum adhuc Mahometana peste non sint infecti, cutis nigredinem, vt auguramur, candido Euangelij colore dealbabunt.



P R O V I N C I A T O L E T A N A.

VERSANTVR in hac Prouincia Socij sexdecim supra quingentos, in sedes duodeviginti distributi; è quo numero Sacerdotes sunt
cen-

centum nonaginta tres; Litterarum studiosi septuaginta nouem; rerum domesticarum curatores vndecim supra ducentos; Nouitij triginta tres. Domus Professa vna, Collegia duodecim, Domus Probationis duæ, Residentiæ tres. In Domo Professorum Toletana, sunt è nostris quadraginta. In Collegio Complutensi, septuaginta sex. In Mantuano seu Madritensi, quinquaginta sex. In Murciano, septuaginta. In Optensi, vnus & viginti. In Belmontensi, septemdecim. In Carauacensi, viginti tres. In Placentino, duobus plus. In Seguritano, sexdecim. In Conchensi, vndecim. In Ocaniensi, quindecim. In Toletano, septé. In Oropesano, quadraginta. In Domo probationis Villaregiensi, viginti tres. In Mantuana, quadraginta duo. In Residentijs I E S V Montani, & Naualcarnereni, quæ pertinent ad Collegium Complutense, vtrobique sex. In Almagrensi, octo. Admissi in Societatem vndeuginti; obierunt vndecim.

D O M V S P R O F E S -
S A T O L E T A N A .

MVLT A est Sacramentorum frequentia domi, eaque cum multo fructu. Carceres, & Xenodochia obita. Doctrina Christiana plurimo puerorum agmine celebratur, & post eam exhortatio ad grandiores, multa cum ædificatione totius vrbis. Excursiones quoque factæ ad Vicinos populos, tum ipsorum postulatu, tum vero Illustrissimi Cardinalis Archiepiscopi, qui suas elemosynas nostrorum, qui mittuntur, manibus distribui vult. Ad tria præcipue oppida septembri men-
se

se duo de nostris destinati, multa peregerunt difficultia; in his graues inimicitie sedate inter populi viros Principes, à quibus, diuersis inter se litibus excitatis, non iam de pecunia solùm, sed etiam de capite agebatur. Itaque nostrorum suafu lites & odia deposita, quin etiam se mutuo amplexi & osculati sunt, gratia reconciliata, & familiaritas, tanta cum populi admiratione, vt passim dictarent, nihil iam esse dæmoni negotij Membrille; id nomen est loci, nisi nouam de integro telam ordiatur. Homicidæ præterea duo, qui decem iam annos vagabantur, impetrata per nostros ab aduersaria parte venia, ad sua rediere.

COLLEGIUM COMPLUTENSE.

COMPLUTENSE Collegium in externis Scholaribus, ad omnem doctrinam institutis, & ad omne officium excitandis, cum magno studio, & fructu laborauit, vt solet: carceribus item, & nosocomijs cibum, libertatem, solatium de more prouidit: omnino nihil ex antiqua proximos iuuandi contentione, superioribus annis perscripta, remisit. Ceterum ingens accepit vulnus, sibi cum tota Societate commune, Patris Gabrielis Vazquez obitum immaturum. Singularem eius viri doctrinam cum veris, ac solidis virtutibus coniunctam, nouerunt Roma & Hispania, quæ docentem & disputantem eximio concursu exceperunt; scripta vero nunc auide euoluunt, multò plura, nisi mors impedisset, habituræ. Eam Pater obiit extremo Septembri, acri dolore stomachi

H

machi

machi confectus, dum in villa IESV montani moraretur. Complurum delato, supremum officium ritu solemniter perfolutum est, cum magno etiam externorum dolore, qui frequentes ex Vniuersitate, & alijs religiosis familijs aderant, viri probitatem & eruditionem prædicantes.

COLLEGIVM MAN- TVANVM.

QVAMQVAM post regalis curiæ migrationem magna hic est in templis ceteris, & cœnobijs solitudo, in nostro tamen egregia semper fuit frequentia, præsertim nobilium, qui plurimi ad nos confessionis Sacramento expiandi, & salubribus monitis instruendi ventitant. Laicorum Sodalitas superiori anno instituta creuit ad sexcentos. Hi octauo quoque die confessionis, quinto decimo Eucharistiæ Sacramentis sese muniunt. Dominicis diebus vesperi audiunt conciunculam. Quibus exercitationibus quantum & ipsi, & ipsorum exemplo alij contineantur in officio, Prætoris dictum egregiè demonstrat. Rogatus enim, quid ita, de tam paucis nunc supplicium fumeret? (ex reorum supplicijs pauperes in carcerem detrusi aluntur) Vt, inquit, Societas IESV Sodalitatem istam fundauit, nullum est supplicium, quippe nullum est maleficium. Videtur sanè diuino consilio instituta eo tempore, quo ob Regis discessum, plebs in eximia erat inopia, afflictione, & solitudine, in multaque flagitia lapsura videbatur, nisi his rationibus fuisset detenta: quæ ut ipsi prædicant, omnem laboris & miseræ

me-

memoriam tollunt.

ARGENTEI ad quatuor mille eleemosynæ nomine donati. His & vestes sacræ, & luculenta Crux ex argento, maximo altari ornando, sunt coemptæ. Sacerdotes duo, totidem Coadiutores obierunt. Aprili medio Pater Antonius Martinez ex oppido Quintanar, annos quatuor & triginta natus, vir magno virtutum omnium feruore, pœnitentiæ imprimis, qua vel ob leuissimas noxas, acriter in se ipsum sæuebat. Iuuandis pauperibus qui in nosocomio, aut carcere detinentur, strenuam aliquot annos operam nauauit; eamque maximè capite damnatis, quos morum sanctitate & vi verborum, qua multum valebat, ad scele- rum detestationem, & supplicij patientiam egregiè conformabat. Post hunc discessit Pater Michael de Reyno, spiritualis coadiutor, è Carauaca, ætatis anno septimo & quadragesimo, & in docenda grammatica, cui muneri sese addixerat, totos viginti annos diligenter versatus. Raræ ac singulares in eo virtutes eminebant. Erat quippè in oratione assiduus, in Dei beneficiis memoria repetendis & estimandis sedulus, eaque scripta in scheda gerebat suspenso collo. Castitatis verò adeo studiosus, vt constitutum apud se haberet, id quod re ipsa præstabat, nullius vnquam discipuli, pueriue caput manu demulcere, etiam ad honestum finem. Laboris & patiens & appetens, quo liberare ceteros cum magna alacritate contendebat. Perfecit has virtutes ardentissima erga proximos caritas, quorum salutem diu noctuque videbatur cogitare, ita multas rationes illos iuandi à se inuentas superioribus assiduo suggererat, tam felici euentu, vt initiū à Deo fuisse manifeste

constaret. Testantur id tum alia eius consilia, tum laicorum sodalitiū, de quo dixi, & Christianæ catechesis explicatio. Hanc diu experiuit, & in profligandis difficultatibus, quæ plurimæ obstabant, vehementer laborauit. Cumque de ea re deliberaretur, sacerdoti cuidā dixit. Hoc tibi, Pater, pro certo habe, nullum huic Collegio futurum fundatorem, donec catechesim publice doceamus. Quæ verba non temere, sed Deo suggerente fusa (quidni hominē ea probitate, simplicitate, & modestia à Deo illa accepisse credamus?) rei probauit euentus. Nam, cum ab huius Collegij initijs quadraginta omnino fluxissent anni, nec quisquam se illi fundatorem præbuisset, tandem anno millesimo sexcentesimo, quo ipso, Patris Reyno suasione catechesis publicè tradi cœpit, Augusta Imperatrix Maria Austriaca, testamento illud fundatricis nomine suscepit, & amplissimis redditibus dirauit. Virtutes P. Reyno strenuè æmulatus est Franciscus de Moratalla, ex Hiniesta, coadiutor temporalis, quem medio Ianuario Deus transtulit ad meliorem vitam. Hic permultum proficiendi cupidus, sensus omnes ac motus, diuino instinctu in oratione, concione, aut Missa sibi iniectos, literis consignabat, quo illorum memoria sese ad officium diligenter, & accuratè implendum incitaret. Id autem duabus maximè rebus, humilitatis studio, & laboris amore contineri censebat. Hinc illa cuius vox. Patientia & humilitas, vocationis gratiam comitantur: Qui coadiutor ab his inops, Dei familiaritatem quærit, tam amens est, quam qui alis destitutus volare in Cælum contendit. B. Parentem Ignatium egregia semper pietate coluit, vtque ad Societatem quam

plu

plurimos alliceret, diligenter operam dedit, sanè non irritam: multos enim eosque industrios, & consilio, & exemplo traxit. Claudat vita functorum numerum Ignatius de Roxas, cum in alijs domesticis muneribus, tum in ianitoris magna cum laude versatus; erat quippe in eo læta oris modestia, cum grauitate coniuncta, ex recta animi constitutione, & proximorum studio orta, quæ nos adeuntium animos conciliabat, ij singularem hominis virtutem, vrbaniatate, & affabilitate, temperatam admirantes, diuinum aulicum vulgò appellabant. Ad mortem, ex vita in officio transacta, spem adedò certam Dei videndi concepit, vt lætitiæ plenus à confessario mandata, si quæ haberet ad Cælum, peteret, à se videlicet, quod credimus, breui deferenda.

COLLEGIUM MVR- CIANVM ET OCA- NIENSE.

PHILOSOPHIÆ curriculum absolutum est, minori quam fuerat inchoatum, scholarium frequentia, quòd pars maior se religioni addixerit. Duo ex ijs vehementer ad nostram Societatem aspirantes, cum aditum sibi in hac Prouincia interclusum viderent, Hispalim alacres aduolunt, vbi audierant à Procuratore Peruano scholasticos in Peru trajciendos in Societatem adscis- si; adsciti, & magna ipsorum voluntate, ad Indos sunt profecti.

EXPEDITIONES multæ in adiacentes populos susceptæ; sed hæc micuerunt. Per Qu adra-

gesimam, Villenæ vr̄bis rogatu, Sacerdotes duo illò sunt destinati, nec sine ingenti animorum fructu, & populi admiratione, beneuolentiaq; redierunt. In annum proximum iam ciuitas enixè illos ipsos experit. Per aduentum alij duo Ziezam adierunt, & vt verbo dicam, Societatis muneribus egregiè adiuuerunt. In reditu ad oppidum diuerterunt, in quo quidam, præ magna rei familiaris iactura, eo mœroris & furoris redactus erat, vt iam propemodum de suspendio cogitaret: hunc sacerdos noster conuenit, alloquitur, & Beati Iobi exemplo ad patientiam hortatur. Mentem homini ea verba reddiderunt. Nam proxima nocte sacerdotem quæsiuit, enixèque orauit, ne ante discederet, quam ipsius confessionem exciperet. Id quod cum magno pœnitentis gaudio, & aliorum bono exemplo, die altera factum est. Ciuitas aureos mille & quingentos, ad perficienda gymnasia iam dudum inchoata, nobis donauit. Quos vt pluris æstimemus, facit tum Senatorum omnium in eam rem consensus, & etiam eorum qui Societati parum fauent; tum tempus: quoniam hoc anno ciuitas, magnis sumptibus in publica ædificia factis, in magna erat difficultate numaria. Sacram supellectilem auxit vir vnus pius casula vna nigra, quæ quinguaginta aureis æstimatur: alius duabus, ex Damasceno candido; alius item duabus, ex aurea tela viridi. Vnum & alterum templi facellum elegantibus facellis muniuimus, centum & viginti aureorum impensa, quos piorum liberalitas suppeditauit. Sic templo non parum decoris, & maiestatis accessit.

Ocanti ad nostras conciones magni concursus hoc anno facti sunt, eosque vberimus confessionum

num

num, & communionum fructus excepit, cum aliorum, tum trium feminarum, quæ nostri concionatoris vocibus à meretricio quæstu abductæ, totius vitæ flagitia sacra confessione expiarunt. Duæ se religioni addixerunt, tertia rite nupsit. Alia mulier, cū egestate, aut libidine sollicitata, lupanar peteret, turpe lucrū deinceps corpore quæstura, suggerente Deo, in ipso itinere, eius instituti fœditatē cœpit cogitare. Substitit; & consilio diligentius examinato, animi salutē corporis voluptati prætulit, Deumque audire maluit, quàm dæmonem, qui nigre avis figuram indutus, circū caput volitabat, & ad progrediendum enixè hortabatur. Etgo regreditur: & nostro sacerdoti rem narrat, confessionisque sacramento animum perpurgat: tum in statu commodo constituitur, in quo cum magna alacritate inseruit Deo.

COLLEGIVM ORO-
PESANVM, ET CARA-
VACENSE.

MATHEMATICARVM prælectio superiori anno instituta viget. Nostri ob eximiam doctrinæ & pietatis opinionem, vel à longè remotis de dubijs conscientiaë consuluntur, omniumque votis plene satisfaciunt. Itum sæpe est cum magno operæ pretio ad vicina oppida, concionibus, & cathechismo excolenda, itineris sumptus suppeditante Oropesano Comite, ne alijs graues simus. Sacerdotes duo in quodam eius ditionis oppido, Quadragesimam totam morati, egregie cunctorum animos ad virtutem incitarunt.

runt. Femina lethali morbo oppressa vir e Societate apparuit, monens, vt vni e nostris confiteretur, æternamque à Domino salutem speraret; paruit illa, magnaue religione, vsque ad extremum spiritum B. P. Ignatium coluit: haud dubio indicio, salutare consilium ab eo profectum. Petrus Franciscus Exquex, scholaris, e Casaragusta, diurno hecticæ febris morbo, quem virili plane constantia tolerauerat, confectus, moritur vigesimo ætatis anno. Desperatus à Medicis illud subinde in ore habebat: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. S. Pater Ignati, ora pro me; sibi-que, si quando vox deficeret, à circumstantibus suggeri postulabat: instante iam morte, ex breui quiete, ceu somno ad se reuersus, præclarum, inquit, à Deo beneficium accepi. Sanè in perquam amæno prato, cælesti harmonia sonante, Virginem pulcherrimæ formæ vidi, cuius me valde recreauit aspectus, & certa spe Dei continuo videnti erexit. Quibus in verbis animam efflauit. Diem obiit Pater Ioannes Baptista Martinez, coadiutor spiritualis formatus, in hoc Collegio totos viginti septem annos confessariû egerat, raro cum exemplo, & ædificatione, adde etiam, fructu satis vberi, vt sua opinione miser, & inutilis, omnium existimatione vir plane sanctus haberetur. Cumque iam præ nimia senectute confessiones audire non posset, curabat saltem comitari eos Patres, qui domo exibant ad carceres, & Xenodochia, vt confessiones exciperent. Eius memoria, Carauacæ in benedictione est. Imago B. P. Ignatij in templo nostro proposita, populi deuotionem excitauit. Mulier parturiens, triumque dierum dolores

lores acerbos sustinens, eius inuocatu tandem peperit: Altera tactu imaginis eiusdem à grauissimis doloribus, & spasmo liberata: Altera precibus fufis impetrauit, vt filius perditis moribus resipisceret, cui neque minæ neque preces, neque alia adhibita remedia quidquam profuerant. Res mirra prætereunda non est, quia ab vno ex nostris sacerdote cepit exordium. Pictor huic patri confiteri solitus, conductus est, vt in quodam oppido sacras imagines pingeret, in summo templi delubro proponendas. Prius tamen animum expiare confessione voluit: & noster sacerdos ei commendauit plurimum deuotionem erga Dei matrem, quam præsto esse dixit omnibus pie inuocantibus. Hæcere verba pectori, profectus pinxit. Absolutoque delubro, ad summam pecuniarum, quæ pacta fuerat, quinquaginta argentei desiderati sunt: Ille memor Beatæ Virginis dixit, se eam pecuniam libentissime condonare, ac remittere ob amorem matris Dei. Rediens Carauacam in agro dormiturus recubuit, ibi enim illum nox occupat: Repente sicarij aggressi vulnera viginti quatuor infligunt; quatuor transfoderunt corpus, & in vno quarta ensis pars remansit infixæ, vnum in capite accepit, vnde cranij rupti partes excissæ sunt: pollex vnus, alijque duo digiti subneruati. Interea ille implorare Dei matrem, ob passionem filij, obsecrans id saltem, ne sine confessione moreretur. Pro mortuo igitur derelictus à sicarijs, surrexit, & vt vt potuit, multo vulnere fere exanguis, reuertitur in oppidum dimidia fere leuca distans. In Xenodoxium ducitur frequenti multitudine stipatus, Deique matrem semper inuocans: Accedunt chirurgi, partem ensis

sis extrahunt, & ignari quid facerent, vulnera obligant stupa, & linreis, & resina oblita. Postridie mane curaturi redeunt, illumque sanum omnino, & integrum reperiunt, ita vt statim è lecto surrexerit, nihil prorsus mali sentiens. Nimirum Beata Virgo potest, quidquid vult, & restituit debita cum fœnore. Narrabat homo, se ea nocte vocem hanc audisse : esto bono animo, iam sanus factus es : vulnera quæ excepisti, instar sunt spineæ coronæ, vt in cælum conscendas : atque ita visum sibi videre angelos coronam gestantes. Habita res pro grandi miraculo, ne sine fide posteris referretur, publico testimonio munita & consignata.

DOMVS PROBATIONIS MANTVANA.

OBIIT ex nouitijs Ioannes Lucas, coadiutor temporalis, ex oppido Hontoba, annos natus septemdecim, iuuenis eo orationis studio, vt in eam successiue omnia tempora, à culinæ occupationibus, (cui cum magna humanitate & silentio inseruiebat) libera, studiose poneret. Diuturno morbo vexatus, & iam morti proximus, videre sibi visus est Christum Dominum, è cuius aspectu vehementem dolorem peccatorum traxit, lacrymis & verbis abunde testatum. Tantum deinde gaudium animo concepit, vt eius indicem risum, moribundus nunquam intermitteret. Causam lætitiæ rogatus, in tristitia, inquit, sunt hoc temporis articulo, qui Deum sibi iratum habent; ego vero, quæ Dei est bonitas, cum nullius culpæ mihi conscius sim, quidni lætitia gestiam?

stiam? dum solitis precibus moribundi animam nostri Deo commendarent, ille validiore, & contentiore voce clamans, Ecce, ecce; quantum thesaurum, quantum thesaurum! spiritum Deo reddidit. Templi ædificatio, & cubiculorum, quæ nouitijs nunc angustè habitantibus necessaria sunt, vrgetur stenuè, nec longè absunt à fastigio.

RESIDENTIA AL- MAGRENSIS.

NOBILIS quidam vir cum alijs vitijs, tum ludendi & peierandi consuetudine deprauatus, vidit per somniũ, se ad Dei tribunal rapi iudicandum, ibique grauitate obiectorum criminum vehementer premi, & estuare, ex ijs vero angustijs auxilio & precibus cuiusdã ex nostris, qui imagini B. P. Ignatij erat persimilis, se tandem liberari. Somno solutus rem cum Sacerdote nostro communicat: cuius præcepto, monitionem diuinam illam fuisse ratus, totius vitæ flagitia sacra confessione expiauit. Vix mensis præterierat, cum in grauem morbum incidit, ex quo obiit ipsa die B. P. Ignatio sacra, quem morte proximus diligenter inuocabat; & cum imagine Christi crucifixi eo amore & deuotione loquebatur, vt omnibus & admirationem, & certa salutis argumenta præberet. Oppidum Almagro proximum, quod nostros votis omnibus exoptabat, singuli sacerdotes (plures non permisit eorum paucitas) singulis Quadragesimæ hebdomadis adierunt, & egregium ex eo fructum reportarunt. Quippe audierunt permultos vniuersæ vitæ crimina nunquam

quam antea ritè expiata, confitentes. Sacerdos vnus, isque valetudinarius, vna hebdomada viginti, aut eo circiter eiusmodi confessiones excepit: ex quo ceterorum coniecturam facere licebit. Eodem in oppido, sacerdos noster constituit inter duodecim viros primarios Sodalitatem, cuius cura, & industria in Eucharistiæ cultu est; eam cum celebri pompa in publicum efferre, singuli mensibus singulis curant suis sumptibus: prosequitur plebs frequens cum accensis facibus, frequensque eo die est confessio, & Eucharistiæ perceptio. Præter quotidianas eleemosynas, quibus nostri in hoc Collegio aluntur, calix, & duæ casulæ ad sacra faciendâ donatæ sunt. Domestica etiam supellex non parum aucta.

C O L L E G I V M H V E T E N S E.

D O M E S T I C O facello ornando, donata Beatæ Virginis imago, valore aureorum fere viginti. Insigne miraculum hic gestum est, quod quoniam B. P. N. Ignarij, & Beati Francisci Xauerij sanctitatem, & potentiam in dæmonia egregiè confirmat, pluribus exponam. Mulier leui ex causa irata filiæ, tribus illam dæmonijs deuouit, quæ præsto adfuere, & miseræ filiæ corpus occuparunt. Re post tertium mensem certis indicijs deprehensa, mulier ad Parochum Ecclesiæ Sancti Stephani, gratia eijciendorum dæmonum nobilem adducitur. Ille pro suo erga Societatem studio, in templo nostro pridie Non. Ianuarij, Principes tenebrarum aggressus est oppugnare;

gnare; ac Sanctorum reliquiis feminæ applici-
tis, dæmonium vehementer cruciauit, sed nul-
la vehementius, quam epistola Beati Patris Ig-
natij manu subscripta. Hanc manu cepit dæ-
monium, magna vi Exorcismorum coactum; re-
pugnansque, & inuitum, dixit tandem illam esse
Sancti Ignatij, quo nominando, dixit identi-
dem, & gestibus demonstrauit, se angi, vri, & ma-
iorem capere dolorem, quam explicare posset;
Nec vero minorem statim cepit, cum ad eius &
Beati Xauerij osculandas imagines, modis om-
nibus coactum est. Virget Parochus, vt à fe-
mina discedat; illud tandem, multis verbis, vl-
tro, citroque habitis, promittit se mense in-
tegro exacto discessurum, fideiussoresque dat
BB. Patres, eorumque meritis tam citam hanc
discessionem adscribendam affirmat; adiun-
git tertium Beatum Antonium. His conten-
tus Parochus, (nec enim post multam o-
peram plus extorquere potuit) edicit dæmo-
nio, vt totum eum mensem in minimo digito
sinistri pedis feminæ moretur, & a reliquo cor-
pore torquendo, & turbando omnino absti-
neat. Quieuit per has inducias mulier, vno ex-
cepto digitulo, quem dæmon male habebat;
& peracto mense ad templum nostrum redu-
cta est; ibique in magno omnium ordinum
concurfu, quem vitare frustra contendimus,
salua & incolumis relicta à dæmonio fremen-
te, & dictitante se fideiussorum merito & tor-
queri vehementer, & domo expelli. Tranquil-
la videbantur omnia, pacis hoste fugato, ve-
rum non multo post, mulier denuò exagitari,
horrendis spectris turbari, & varijs technis ad
despe-

desperationem trahi cœpit; Commorantis dæmonij non obscura indicia. Veritas Exorcismorū vi extorta, cognitumque est tria dæmonia à primo in mulierem immigrasse, ex ijs vnum Beati Patris Ignatij meritò eiecētum; quippè Parochus cum vno tantum sermonem habebat, & vnan discessus tesseram de more postulauerat, manere duo altera, breui etiam exturbanda. Hoc illa ipsa dum faterentur, tremebant vehementer, & huc, illucque sese vertebant. Parocho tantæ turbationis causam interroganti, eam reddiderunt, quod inter maximum frigus, & ardentissimum calorem perpetuò versentur. Quo tandem, inquit, modo, cum corporis sitis expertia, qualitatibus istis cruciamini? Modū, aiunt illa, nouit ipse, qui cruciat. Leuiora quædam mulieris peccata cum magna voluptate narrabant, enixeque contendebant à Parocho, vt potestatem illis faceret narrandi plura. Constrictiones alijs diebus cum dæmonijs habitas, vt breuitati consulam, prætereo, venio ad extremas. In magna populi frequentia, quæ ad nostrum templum confluxerat, quæsiuit à dæmonijs Parochus, quodnam eorum primum ex muliere pulsum fuisset, cuiusque virtute? Maximum, responderunt, nomine Barabbam ob Diui Ignatij merita fuisse pulsum; manere duo altera, quibus Beelzebub, & Sathanas nomina, meritis Diui Francisci Xauerij repellenda. Quid ita, rogat Parochus, viros hosce appellatis Diuos, qui nondum in diuorum numero sunt adscripti? Enimvero, aiunt illa, & Diui sunt, & cœlum tenent. Eos, quibus cœlestes honores nondum sunt decreti, vos minimè diuos appellatis, nos verò maximè. Id videlicet nobis Deus imperat, & sanctos

iuxta

iuxta ac se vult honorari. Instat ille, licetne vobis hos nominare, diuorum titulo prætermisso? Minime, inquiunt; imo magna nobis erunt subeunda supplicia, si ipsos non appellemus Diuos, sunt etenim. Pergit Parochus vrgeri, vt discedant, & discessionis, quam promittebant, fideiussores Sanctum Dominicum, & quemuis alium ex nostra Societate petere; annuunt, & cum Sancto Dominico, B. Stanislauum præbent, adolescentem illum Polonum, nobili loco natum, qui in domo Probationis Romana, cum magna sanctitatis opinione nouitius obiit, anno ætatis (quod dæmon nunc interrogatus affirmauit) octodecimo. Post hæc iussus dæmon fideiussorum imagines, quæ aderant, cum reuerentia exosculari, ad B. P. Francisci Xauerij, quæ proxima erat, contendeat, cum subito angi, & conturbari cœpit, perterritusque & obstupefactus, vultum, & colorem mutare, variare vocem, hærare, & cum altero colloquens, verba inter se parum apta, & coherentia efferre. An ignoras id nobis iussisse Deum? Quid ita nos persequeris? Quid mali tibi à nobis est? Tu illam vel maximè ames, licet. O pereat mulier. Maiora nunquam subij tormenta. Tandem post ingentem conflictum, & cruciatum accessit ad imaginem, & manum osculatus est supplex. Rogatus quidnam rei vidisset, Sanctum Franciscum Xauerium respondit, qui huc descendit; meque grauitè obiurgauit, quod ab ista muliere non abirem; addidit, sancti vultum videre sibi non licuisse, sed solam vestem, qua præsentì Parocho erat similis. Nempe Parochus præter communem nostratum sacerdotum consuetudinem, tunicam gerit solutam, vt B. Xauerius vsitato Indorum

dorum

dorum more gessisse fertur. B. P. Ignatium a se non visum, at à dæmone, qui discesserat primus, in ipso discessu visum tunc temporis, cum vehementer infremuit. Post reuerentiam, & osculum imagini B. Francisci Xauerij exhibitum, ad B. P. Ignatij accessit, iracundiaque, & stomacho exardescens clamauit, Ah, tibi me sanctitate æquare potui. Tergiuersanti, & questibus, ac lamentis tempus trahenti, Parochus moram increpat; ille negat potestatem sibi factam osculi; qua facta, primum B. P. Ignatij, deinde B. Stanislai imaginem osculatus est. Magnam admirationē ea res cunctis mouit, præsertim Parocho, qui cū plus quàm duo millia dæmonum eiecisset, eiusmodi apparitionem, nunquam a se auditam affirmabat. Dæmon ipse, quasi noua quadam flamma adustus, & ingenti percussus metu, multum ac sæpe orauit Parochum, curaret, ne sibi iterum ea visio contingeret, eam quippe se magnopere formidare. Feria tertia hebdomadæ sanctæ, qui dies præscriptus erat dæmoni ad discedendum, mulier ad templum nostrum adducitur, cruciatibus, & doloribus à dæmone acceptis, fere exanimata. Dæmon multo ferocior, & vehementior solito, furere, sæuire, mugire, fremensque clamitare; Hem Paroche, Paroche, vicissitudo rerum omnium est. Disperream miser, & mea consilia pereant; pereat dies, qua creatus sum, pereat mulier, & mater, quæ ipsam peperit, pereat etiam male. Tantam istam ferocitatem, dæmon repente mitigatus posuit, supplexque, & demissus nemine iubente, ad imaginem B. Francisci Xauerij rectâ tetendit, gressu ipso apertè demonstrans, se omnino repugnantem magna quadam vi illò trahi, tum prostratus

stratus ad imaginem, illamque magno cum dolore, mulieris ore osculatus clamauit. Discedo, discedo, viderat nempe, (quod ipsentet Parochi iussu aperuit) B. Franciscum Xauerium in veste alba, pendente ex collo cruce, cælestibus quatuor faces ferentibus comitatum, sanctis Michaele, Gabriele, Angelo custode, diuoque Dominico. Tum ad populum conuersus, voce, manuque contenta, Moneo, inquit, vos omnes, qui adestis, & me præsentem intuemini, vt cauearis à maledicendo, vt nec canes, nec caros, nec quicquam omnino deuoueat dæmoni; vt fugiatis peccata, ne ad pontem, ad castellum, ad puteum, ad abyssum, ad rotundam domum, ad ignem sulphureum tandem rapiamini. Tot enim sunt tormentorum genera, vt si alicui animæ ad superos inde remigrare liceret, nullus plane, qui cum ea vsus, & consuetudo foret, damnaretur. Optarem quidem potius mille annos iacere in inferno, quam de his vos monere, verum id mihi inuito imperatum est. Tum imagines aspiciens, Ecce, ecce vobis ambos, clamauit; iam, iam abimus, & absque cuiusquam imperio, propius imaginem B. Francisci Xauerij, ægre, & quasi per vim tractus accessit, eiusque manum osculatus, os ad terram applicuit, petijtque, vt (quod dæmoni molestissimum esse solet) ceruices sibi conculcarentur. Id dum fieret, & litaniam, & Psalmi recitarentur, dæmon, velut in mortis agone constitutus sudabat, & angebatur, nostrorumque auxilium implorabat, quo male moreretur, & citius abiret. Nec mora, lingua mulieris exerta obolum eiicit, consuetam fere abitionis notam; intortam aciculam præbuit alter, qui post hunc non minori cum angustia eru-

I

pit

pit ex femina, lassitudine, & diuturnis molestijs confecta, audireque priuata, quem tamen post dies octo, (sic dæmon fore prædixerat) recepit. Miraculi magnitudo fere quotquot adierant ad Dei, Diuorumque laudem excitauit, & à maledicendo deterruit. Aderant autem præter promiscuam turbam, ex familia sanctorum Dominici, & Francisci religiosi non pauci, Prætor ciuitatis eum nobilibus, & Clerici nonnulli. His gestis, ecce præter omnium opinionem, die ipso resurgenti Christo sacro, dæmones in domum veterem remigrant, mulierem corripunt, & diuexant; confestim illa ad nos adducitur, & exorcismi adhibentur, quibus constrictus Barabbas, quem trium illorum maximum esse dixi, confitetur se atque illos, non quidem libentes, sed Diuorum iussu compulsos huc redire, vt cunctis testificentur, se meritis diui Ignatij (& eius imaginem tremens suspiciebat) diui Francisci Xauerij, & diui Stanislai fuisse exturbatos, nimirum, vt qui id prius non crediderant, nunc credant. Tunc ad imagines versus expauit, & mutato vultu, conturbatusque retrorsum cedebat instar fugientis, sed frustra, nam præsentia Diuorum compulsus, eorū imagines velocissime petiit, & osculatus est: quippe qui affirmabat diuos Ignatium, & Xauerium eximio splendore circumfusus, adesse præsentem. Cuius rei & mulier fidem fecit, sui compos facta; nimirum dæmon tunc temporis (quod nonnunquam facere solebat) sua sponte illius caput liberum, sanumque reliquit, inferiora membra occupare contentus. Quærit Parochus, Maria nunquid vides noui? miratur illa ceteros non videre, quæ sint præ oculis, &, En, inquit, lux, & claritas magna hucuf-
quo

que pertinet, & partem hanc templi (eandem plane designauerat dæmon) luculenter illustrat. Diuos præ nimio splendore satis perspicere non valeo, intro latent; qui fieri potest, vt vos illos non videatis? huc, huc quæso contendite, hinc eos licet videre, & flexis genibus: O diuos, o rem pulchram, clamabat, eiusmodiquæ alia, simplici, & puro animo dicebat; quæ dæmon, eius capite rursus conscenso, confirmauit. Hac ratione femina in solatium, dæmoni in supplicium Sanctos monstrare voluit Deus. Secuta est confestim dæmonis concio, quam sibi à Deo imperatam dicebat, nec recusare licere, Eam cum magna contentione sic orsus est. Non feminam, sed inferni dæmonem Barabbam loquentem auditis, maiorem proculdubio fructum ex hac vna concione, quàm ex omnibus quadragesima habitis capturi. Haud dubiū, quando dæmon concionatur, quin mundo instet finis. Quid vtilitatis, quæso, ex sermone feria secunda proxima ad vos habitis, cepistis? Quid de cogitationibus, de verbis, & operibus constitutum habetis? effluxit plane animis totus sermo. Num Christiani estis? sunt ne vobis animi? vbi nam illi, in capite, aut in pedibus? quem fructum ex concionibus reportatis? qui illis auditis, statim ridetis: certe sic ridendo mouetis nobis risum. Mundus ybique gentium sui est similis. Quid boni confessione peccatorum, quid sumptione Eucharistiæ consecuti estis? Quid confert ornato, & constricto collo incedere? præstaret quidem alia ratione constringi; inanis est profecto fiducia vestra. Me ex cæli vertice ad barathrum deiecit peccatum, & vos vllum in terra locum tutum existimabitis? Eundum igitur vobis erit, nisi caue-

tis, cum inferis sathanis ad sulphur, ad ignem, ad
 pontem, ad castellum ad fluuium, ad rotundam
 domum. His dictis, quam primum recta ad B. P.
 Ignatij effigiem pergit. Rogatus, an aliquod sui
 exitus signum daturus esset, necessarium id esse
 negauit; cum adessent ibi, qui præceptis exire
 compellerent. Ardens inde, & quasi iam impa-
 tiens moræ, petit a quodam sacerdote ex nostris,
 vt pede collum feminæ subiectum premat; & ab
 exorcista, vt exorcismorum librum assumat, det-
 que operam adiurationi sedulam. Aduolat statim,
 seque ad B. P. imaginis pedes sternit, & collo sa-
 cerdotis pedibus vltro subiecto, quod supererat
 concionis contexens, & iam pæne languenti spi-
 ritu dicens, Vbi vobis animi? rapiemus hinc altos,
 nisi caueatis, per aëra. Hæc secum quasi admur-
 murans, & fremens, admoto ore solo, ad pedes
 Beati Patris discessit. Remansit ex eo mulier quie-
 to animo, ore & vultu sereno, atque hilari, re-
 petens cum incredibili admiratione, & gaudio,
 quod viderat: quantus splendor, quam augu-
 sta forma, quæ maiestas, quæ suauitas in ore san-
 ctorum Patrum! ita vt ipsa narrantis simplicitas
 & admiratio, & teneret & caperet præsentis. Ge-
 sta sunt hæc xij. Kal. Maias. Eodem die sub no-
 ctem, idem, qui paulo ante dæmon feminam
 obsederat, corripuit iterum, deduxitque nihil
 sentientem in templum sancti Dominici, vbi
 eodem imperu cruciabat, agitabatque, quo in
 æde nostra. Adest exorcista, vrget, vt causam e-
 dat; cur eiectus redierit. Respondet se inuitum
 redire, coactum scilicet, eius imperio, cui resis-
 tere frustra conetur. Quam ob causam, instat
 exorcista? Vt repetam hic, inquit, quæ dixi in
 Collegio

Collegio Societatis, quod virtute, & merito sancti Patris Ignatii, sancti Francisci Xaverij, sancti Stanislai, sancti Dominici expulsi fuerimus, simul repetens eorum capita, quæ apud nos dixerat. Et adiecit, illud non esse alienum à votis, & pietate feminæ. Nam ipsa, inquit, à Deo id sibi concedi rogat, ut coram simulachris Christi verberati, & crucifixi, quæ ibi religiose colebantur, partem aliquam dolorum in corpore suo experiretur, quos Christus Dominus cæsus, crucifixusque pertulerat. Ut ergo hoc in loco feminam excruciem, huc etiam à Deo missus sum, quod ubi primum perago, discedo statim, neque sane invitus. Habebat prorsus ita res, ut diabolus retulit: femina enim, quod nulli ante illud tempus significarat, in die Parasceues, cum devotionis gratia illas imagines salutaret, petierat, sibi ut contingeret eo in loco aliquid pati eorum, quæ ipse pro nostra salute subiisset. Annuit Deus precibus, & agente demone talia pertulit, qualia supra in nostro templo passa fuerat. Flexis igitur genibus feminam longo spatio ad Christi signa diabolus deduxit: velum, quo tegebantur, remouet: & cum illud religiosus quidam facere tentaret, prohibuit dicens, id suarum esse partium; atque ibi, cum ad Christum quasi præsentem hæc fremens dixisset, Si illam vult, habeat sibi: quid enim ego ipsam velim? Eodem loco illam habeo, quo illa me: monuit eos, qui aderant, ut in eo extremo conspectu feminam teneant, accurrunt ex eo numero sex religiosi, quos ita iactabat versabatque femina, alioqui debilis, & viribus longa tot laborum patientia iam exhaustis, ut si res esset minimi

aut ponderis, aut virtutis. Excessit tunc impu-
 rus ille spiritus. Remansit ex eo certamine mu-
 lier valde defessa toto corpore, sed maxime la-
 certis, per quos ab alijs apprehensa, tantam vim
 scruentis diaboli subierat: alio tamen vultu, a-
 lio totius corporis habitu, sine vlllo aut dolo-
 re, aut stupore in auribus, facili totius corpo-
 ris & vsu, & motu, perinde atque si nunquam
 infesti dæmonis vires esset experta.

C E T E R A C O L-
 L E G I A.

ET ALABRICENSI Collegio frequentes
 Excursioncs fiunt in vicina oppida, vbi nostri
 cum bono operaprecio, & concionantur, & au-
 diunt confessiones. Quo in ministerio enituit e-
 tiam Seguræ nostrorum industria. In cete-
 ris Collegijs non minori studio, aut successu,
 quam superioribus annis, in iuuentute docenda,
 curandis omni remedio animis proximorum,
 & pauperie leuanda laboratum est. Idem dicen-
 dum de domo Probationis Villaregiensi, in qua
 sacerdotes quinque tertiæ probationis annum
 egerunt.

P R O V I N C I A